

3,453. 12
1751,2.

LVD. CONR. SCHROEDERI
I. V. D.
PROGRAMMA ACADEMICVM

QVO
DE
STIPVLATIONIBVS
QVIBVS DAM, EMTIONI VENDITIONI
ADIICI SOLITIS,
PAVCA PRAEFATVR,
ET
GENEROSISSIMOS ATQVE PRAENOBILISSI-
MOS COMMILITONES

AD
LECTIONES
PER INSTANS SEMESTRE AESTIVVM
HABENDAS

INVITAT.



MARBVRGI CATTORVM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI
ANNO MDCCCL.

LIB. CENS. ECHGEBRI

1750. 1751. 1752. 1753.

1754. 1755. 1756. 1757.

1758. 1759. 1760. 1761.

1762. 1763. 1764. 1765.

1766. 1767. 1768. 1769.

1770. 1771. 1772. 1773.

1774. 1775. 1776. 1777.

1778. 1779. 1780. 1781.

1782. 1783. 1784. 1785.

1786. 1787. 1788. 1789.

1790. 1791. 1792. 1793.

1794. 1795. 1796. 1797.

1798. 1799. 1800. 1801.

1802. 1803. 1804. 1805.



§. I.

Magnus, et grauis, semper interpretibus visus *Instituti*
est inter POMPONIVM *a*), atque PAPI-*ratio tra-*
NIANVM *b*), Iureconsultos, adesse dif-*ditur.*
fensus in quaestione exponenda: an sub
stipulationibus fundum dari, vel, *vacuam posseffio-*
nem tradi, etiam fructus fundi continerentur. Di-
fertis enim verbis **ILLE** negat, quod effectus ha-
rum stipulationum eo usque extendatur. Contra
ea, **PAPINIANVS** interpretibus videtur aperte ad-
firmare, quod, eiusmodi stipulatione contracta,
pariter et fructus possint condicione ex stipulatu
peti. Cum apud neminem interpretum, quotquot
adhuc consulere licuit, congrua, et apta, harum
legum conciliatio a nobis fuerit inuenta; non abs re
forte erit, si paucis in verum Iureconsultorum sen-
sum inquiramus, et optimum eorundem consensum
doceamus.

§. II.

Vt vero prius de praecipuis harum stipulatio-
num effectibus pauca dicamus; in primis erit no-
tandum, quod stipulatio, *de re sine fundo danda*,
diuersos ab emtione venditione sortiatur effectus.
Indicare hoc videntur verba **VLPIANI** *c*), quibus

Aliud eff-
rem dare,
aliud rem
ex vendito
tradere.

A 2 ad

a) l. 3. §. 1. de act. emt. *c*) in l. 25. §. 1. de contr.
b) l. 4. de usur.



ad hancce stipulationem alludit, dum ait: *Qui vendidit, necesse non habet fundum emtoris facere: vii cogitur, qui fundum stipulanti spospondit.*

§. III.

Sententia RAYWARDI Alium quidem huic legi sensum adsingit IAC.
d), dum criticam manum eidem adnotatur. mouet, et eandem a TRIBONIANO interpolatam existimat. Putat enim vir alias doctissimus, VLPIANVM sic scripsisse: *Qui vendidit, necesse habet, fundum emtoris facere; quod ipsius aeuo venditor adhuc potuisse compelli, ut fundum emtori mancipio daret, vel in iure cederet: quibus utpote praeципue modis legitimum illud, sive quirarium, dominium fuisset in emtorem translatum.* Praeterea et imputat TRIBONIANO, quod, sublatto postea per IVSTINIANVM e) omni antiquo dominiorum discrimine, conuenientius cum iure sui temporis fuisset, si duplarem potius negationem legi addidisset, sic scribendo: *Qui vendidit, necesse non habet fundum emtoris facere: vii nec cogitur, qui fundum stipulanti spospondit.*

§. IIII.

Ex vendito saltet Verum non ideo similem iuris rationem inter vtramque speciem statuerem. Repte enim vir summis GER. NOODT f) audaciore huic crisi obuiatio ad tradendum. iuit, atque, omnia hic sana esse, ostendit. In primis vero solide ex caeteris legibus, quae eundem

VLPIA-

d) Lib. IV. varior. c. 19. f) probab. iur. civ. L. II.

p. m. 255. opusculor.

e) I. un. C. de nud. iur. Quir toll.

c. 12. p. 53.



VLPIANVM *g*), ac praeterea PAVLVM *b*), et AFRICANVM *i*), habent auctores, docuit, rectissime se habere priora illa VLPIANI verba, quod, qui vendidit, necesse non habeat fundum emtoris facere: quia obligatio venditoris, quatenus illa ex contractu venditi nascitur, tantummodo secum fert, ut vacuum emtori possessionem praefestet. Per hanc enim praestationem vendor est sua ex vendito obligatione desunctus, si res non fuit aliena, neque postea eiuncta *k*). Et hinc cum vendoris obligatione non est necessario coniunctum, ut omnino dominium in emtorem simul transferat *l*): sed vere ait VLPIANVS, quod non habeat necesse fundum emtoris facere. Translatio enim dominii saltem cum sequuntione huius obligationis est ut plurimum coniuncta, ut emtor ope traditionis dominium conseqatur, vbi et ipse vendor illud habuit.


§. V.

Pariter et rectissime se habent posteriora VL. Rem vero PIANI verba, quibus asserit, quod e contrario ille dare infert fundum emtoris facere cogatur, qui eundem stipulanti translatio-spolpondit. Minime enim obligatio, ex stipulacionem dominii fundum dari resultans, similis est vendoris obligationi, quae ex contractu venditi nascitur. Nam Iureconsultus alibi *m*) ait: *Haec stipulatio: fundum Tusculanum dari, ostendit, se certi esse, continetque,*

A 3

viii

- g*) l. II. §. I. 2. de act. emt. *i*) l. 30. §. I. de act. emt.
b) l. I. de rev. perm. l. I. *k*) l. II. §. 14. de act. emt.
l. 34. de contr. emt. l. 188. *l*) d. l. 30. §. I. cod.
de V. S. *m*) l. 75. §. vlt. de verb. obf.



ut dominium omnimodo efficiatur stipulatoris quoquo modo. Ita sane ostenditur, hanc stipulationem certam illum continere praestationem, ut promissor debat ipsum omnino dominum in emtorem transferre. Præcipue autem ex ultimis Iureconsulti verbis *omnimodo*, et *quoquo modo*, acutissime coniicit NOOTIUSⁿ), quod haec stipulatio ad ius antiquum se referat, quo illum habuisset effectum, ut promissor necesse haberet, quoquo modo sollemni dominium quiritarium in emtorem transferre. Nec destituitur haec conjectura ratione. Maximi enim poterat emtoris interesse, vt ita sibi stipularetur, et venditorem etiam legitimi illius dominii transferendi nomine obligatum haberet. Nam, quia ex emto tantum poterat agi ad rem tradendam: ope autem simplicis traditionis solum bonitarium, sive naturale, dominium in emtorem transibat; merito accidebat, vt quiritarium dominium apud venditorem tantisper etiam post traditionem remaneret, donec usucapio postea accesserat: emtor autem huius dominii effectibus esset interea destitutus o).

§. VI.

Vfus huius stipulatio- nis iure antiquo, et Verum enim vero, quod pace viri summi dixerim, non putarem, quod usus huius stipulacionis fuerit ad solam sollemnem dominii quiritarii translationem restrictus. Potuit enim stipulatio etiam ratione rerum nec mancipi utilis fuisse. Dum enim

a) l.c.

o) VLP. fragm. tit. XIX.

§. 16. add. F. C. CONRA-

D1 libellus de veris re-

mancis, et nec manci, differ.

c. IV. §. 7.

7

enim vendor ex contractu venditi saltem ad tra-
dendum etat obligatus, et bonitarium dominium
in emtorem ope traditionis non transibat, vbi ipse
vendor illud non habuerat; poterat sane emtoris
multum interesse, vt statim de re emta esset secur-
rus, atque venditorem ex stipulatu cogere posset,
vt ipsi dominium a quolibet, rem alias euicturo,
quouis redimeret pretio. Praeterea, si verba illa
VLPIANI velimus ad ius antiquum referre, com-
modissime et illum recipient sensum, quod pro-
missor sit quoquo modo, sive pro conditione re-
rum, quae vel mancipi, vel nec mancipi, erant,
omnino obligatus, rem emtoris facere, vt neque
per aliam quandam aequipollentem praestationem
hac sua obligatione possit defungi. Iuuat etiam
hanc sententiam PAVLVS p), dum generatim ait:
Non videntur data, quae eo tempore, quo dantur,
stipulantis non sunt. Ita sane patet, quod etiam post
traditionem, licet vel maxime sollemnis mancipa-
tio accesserit, promissor sua ad dandum obligatōne
nondum fuerit exsolitus, vbi ipse antea dominium
non habuerat, adeoque nec illud ope huius tradi-
tionis, vel mancipationis, in emtorem transtulerat.
Atque hinc praecipuus erat huius stipulationis effe-
ctus, vt vendor dominium, cuiuscunque demum
generis illud esset, in emtorem deberet aētu trans-
ferre, sive quoquo modo efficere, vt res fieret sti-
pulantis.

§. VII.

P) l. 167, de reg. iur.



§. VII.

iure monu- Hinc, nec usum huius stipulationis apud Ro-
ostenditur. manos cessasse, existimarem, postquam IVSTINIANVS illa antiqua dominiorum discrimina proscriptis. Supererat enim ille earundem usus, ut venditor inde necesse haberet efficere, ut per simplicem traditionem, cuius ope nunc omne dominium transferebatur, res fieret emtoris, isque ita ab omni euictione, si qua foret metuenda, securus praestaretur. Neque etiam videretur verisimile, quod TRIBONIANVS, dum adeo magna cum cura pleraque vestigia veteris illius dominiorum discriminis e libris, et responsis, veterum iureconsultorum eliminauit, adeo frequenter formulas huius stipulationis in *Diggstis* integras reliquerit, si ipsius usus post IVSTINIANI constitutionem q) plane cessasset.

§. VIII.

Stipulatio, Vti stipulatio igitur: fundum dari, ipsius dominii transferendi necessitatem imponebat; ita altera *possessio*. *tra-* *vacuum* stipulatio, cuius superius meminimus: *vacuum* *tradi*, quid *possessio* *tradi*, minus complectebatur, factum scilicet traditionis, et quidquid cum recta rei traditione erat necessario coniunctum. Sic enim VLPIANVS r) ait: *Si quis vacuum possessionem tradi promiserit, non nudum factum hacc stipulatio continabit, sed causam bonorum.* Pari sane ratione, vti idem iureconsultus alibi s) ex NERATIO refert, quod venditor, qui similiter ex vendito est ad tradendum

q) lun. C. de nud. iur. Quir. r) l. 52. de verb. obl.

toll.

s) l. 11. §. 13. de act. emt.



dendum obligatus, nondum liber sit ab obligatione,
vbi emtori nudum factum possessionis praestitit, sed et
iam debeat efficere, ut possessionem vacuam habeat,
et in lite de possessione potior sit. Atque ideo minime
cum NOODTIO t) dicerem, quod haec stipulatio
promissori necessitatem dominii bonitarii transferen-
di imposuerit. Nam promissor saltem erat obligatus
ad possessionem *vacuam* *praestandam* v): translatio
autem dominii erat saltem cum exsequitione huius
obligationis coniuncta, vbi et ipse venditor domi-
nus fuerat x).

§. VIII.

Caeterum, vt id generatim adhuc de omnibus *Cauſſac ha-*
ſtipulationibus, emtione venditioni adiici solitis, *vnu ſtipu-*
moneamus, tres praeципie ob cauſas illae vſu ve-
niebant. Vel enim emtor ſibi nouum quid a vendi-
tore ſtipulabatur, quod alias actione emti petere
non poterat. Vel emtor ſibi quid ſtipulabatur,
quo nomine venditorem iam ex emto habebat obli-
gatum, vt eum hac ratione dupli actione posset
conuenire. Vel denique nouationis gratia ſtipulatio
vſu veniebat, vt obligatio venditoris in obligationem
ex ſtipulatu tranſunderetur. Prioris iſtius ſtipula-
*tionis innumera exſtant in *Digefſis* exempla, in quo-*
*rūm numerum et illa de *re danda* ſtipulatio eſt refe-*
renda. In primis autem necessariae erant hæ ſtipu-
lationes, ſi partes post interuallum vellent contractui
legem ita dicere, vt et actio eo nomine competere:

B quia

t) l. c.

v) l. 2. §. 1. l. 36. de aſſ. emt. x) l. II. §. 2. l. 30. §. 1.

cod.



quia effectus paetorum nudorum, contractui bona
fidei post intervallum adiectorum, eo usque
non extendebatur y). Altera autem stipulationum
species quam maxime usu veniebat, quod stipula-
tiones haberentur communis paetionum et obligatio-
num firmandarum, atque magis magisque adstrin-
gendarum, modus. Docet hoc illa stipulatio: *va-
cuam possessionem tradi*, vti ex iis, quae proxime di-
ximus, clare patet. Ostendunt hoc etiam multa alia
exempla, tum apud **VARRONEM** z), tum passim
in legibus, quibus earundem usus in venditionibus,
et caeteris contraetibus, hac ratione declaratur a).
De ultima autem stipulationum specie, vti nobile
exemplum **PAPINIANVS** b) tractat, ita mox am-
plior erit locus futurus, de eodem dicendi.

§. X.

*Dissentus
inter POM-
PONIVM
et PAPI-
NIANVM*

Verum, quia stricta erat stipulationum inter-
pretatio, obligatio promissoris arctis limitibus con-
tinebatur, nec ulterius proferebatur, quam verbis
fuerat expressum, et ipsius obligationis indeles fe-
rebat. Et hinc omnino conuenienter **POMPONIUS** c) adfirmat, quod sub stipulatione: *vacuum
possessionem tradi*, et quidem pari ratione, vti sub
altera illa: *fundum dari*, fructus rei emiae non con-
tineantur. Nam, quia hic saltem obligatio adest
perso-

y) *I. 7. §. 5. D. I. 13. C. de
paet I. 52. pr. de verb. obl.*

z) *de re rust. L. II. c. 1. 2.
3. 5.*

a) *conf. I. 39. §. 1. de contr.*

*emt. I. 7. §. 12. de paet. I. 6.
§. 1. de nouat. I. 22 §. 1. de*

verb. obl. I. 58. de fideiuſſ.

b) I. 4. de usur.

c) I. 3. §. 1. de act. emt.



personalis, cum causa rei dandae, vel tradendae, minime est necessario coniunctum, ut et fructus praestentur. Hoc enim in realibus saltet actionibus, vbi de re, domino restituenda, agitur, alias contingit: quia ibi fructus tanquam pars huius rei considerantur, et ab auctore omne illud peti potest, quod ex re, ipsis propria, sicut perceptum, et exstat d). Atque hinc, licet alias contractus emotionis venditionis indeoles ferat, ut fructus, tanquam commoda rei emiae, lucro emitoris cedant e); Iureconsultus nihilominus recte affirms, quod si sub stipulacionibus illis, quae stricti iuris sunt, et strictam verborum interpretationem patiuntur, non contineantur: sed fructuum consequendorum nomine sit actione ex emio experiendum. Curatus igitur iam erit pensandum, an hic aliquatenus POMPONIO obstant verba PAPINIANI f), dum is contra ait: *Si stipulatus sis: rem dari, vacuanque possessionem tradi, fructus postea captos actione incerti ex stipulatu, propter inferiora verba, consequutur te, ratio suadet.*

§. XI.

Plures sunt, qui meram hic statuunt inter Iureconsultos antinomiam g). HUGO DONELLVS h) interpre-

B 2

autem, tum in iis

d) conf. EV. BRONCHORST. iurisprud. cent. II. c. 86.

p. 364.

e) l. 7. de per. et comm. rei vnde.

f) l. 4. de usur.

g) conf. FRANC. HOTO-

MANVS in quaest. illustr.

c. XI. p. m. 76 77. 10.

i) AC. WISSENBACH in

exerc. ad D. disp. 37. tb. 8.

p. 366.



concilian-
dis

autem, BARTOLVM, et ACCVRSIVM, sequutus,
diferimen statuit inter stipulationem: *vacuum posse*
sessionem tradi, et alteram illam PAPINIANI: *fun-*
dum dari, *vacuumque possessionem tradi*; quod sci-
licet duo vincula fortius ligent, quam vnum. Ve-
rum non arridet haec sententia, licet interpretes,
fere agmine facto, eam sequantur. Nam, tum in-
doles stipulationum, superius exposita, repugnat,
tum ipsa PAPINIANI verba hanc distinctionem rei-
ciunt: dum ait, quod fructus saltem *proprietate inferiora verba possint ex stipulatu peti*: vt adeo sola
stipulationum, sive formularum, coniunctio hic
nihil operetur.

afferun-
tur.

§. XII.
Pariter nec calculum adiicere licet ingeniosae
IO. GOEDDAEI *i)* conjecturae, quam operose probare contendit. Putat enim PAPINIANVM sub
formula stipulationis: *rem dari*; *vacuumque possessionem tradi*, aliam subintelligere formulam: *rem sci-licet reſe praeſtari*; de qua utpote formula VLPIANVS *k)* moneret, quod ea et fructus contineret. Sed qua ratione dicemus, iureconsultum aliam sub
alia intelligere formulam, vbi illa certum, et fixum, habet in iure significatum?

Tentatur
noua

§. XIII.
Praetermittam, ne longior euadam, quam in-
stituti fert ratio, PETR. COSTALII *l)*, FRANC.
DVAV.

i) in comm. ad l. 73. de verb. *l)* in comm. ad d. l. 4. de
sign. num. 5. p. 696. *vfur.*
k) l. 73. de verb. sign.

DVAREN^m), LVD. CHARONDÆ ⁿ), FRANC. de ROYE ^o), aliorumque, coniecturas, minus verisimiles, et cum verbis, ac mente, Iureconsultorum non conuenientes. Ut vero paucis in maxima hac opinionum varietate dicamus, quae nobis sedeat sententia; primum omnino probe penitandum videatur, quod PAPINIANVS dixerit, fructus posse actione ex stipulatu propter inferiora verba peri. Ipse enim Iureconsultus hac ratione facetur, quod, si quis simpliciter, rem dari, vacuanque possessionem tradit, sit stipulatus, et nihil praeterea accedit, ob strictam stipulationum interpretationem fructus non possint ex stipulatu peti. Sic enim, dum mox quaestionem mouet, an partus ancillæ possit ex stipulatu peti, ita responderet: *Nam quod ad verba superiora (illas scilicet stipulationum formulas) pertinet, sive factum rei promittendi, sive effectum per traditionem dominii transferendi continent, partus non continetur.* Consentit itaque haecenus PAPINIANVS cum POMPO-
NIO ratione effectus illarum stipulationum.

§. XIII.

Vtterius hoc constabit, si ostendemus, quorū eorundem illa PAPINIANI: *propter inferiora verba, allii conciliatō*
sum. Minime hic possum cum WISSEMBACHIO ^p),
caeterisque interpretibus, facere, qui inde nouum

B 3 inter

- ^m) in comm. ad d. l. 4. p. 1004. operum.
- ⁿ) L. Ill. verisimil. c. 12. pag. 790. Tom. I. Thes. iur. Ottoniani.
- ^o) in diff. add. l. 4. num. 13. p. 736. Tom. II. Thes. iur. Otton.
- ^p) l. c.



inter Iureconsultos dissensum colligunt, dum putant, haec verba se ad formulam stipulationis referre, quam paullo inferius repetit: *vacuamque possessionem tradi.* Nam ad solam hanc formulam Iureconsultus minime voluit lectorum remittere: quod ea iam superius ab ipso fuerit posita, et inferius saltem reperatur, ut ita superius ad eandem male prouocasset. Filum totius orationis potius docet, Iureconsultum ad integrum inferiorem orationem spectare. Ita enim mox pergit, et exceptionem statuit: *Verrin si entor a venditore nouandi animo ita stipulatus est, factum tradendi stipulatus intellegitur: quia non est verisimile, plus venditorem promisisse, quam iudicio enti praestare compelleretur.* Sed tamen propter illa verba, *vacuamque possessionem tradi, potest dici, partus quoque rationem committi incerti stipulatione.* Hac igitur ratione Iureconsultus adfirmat, quod, si non ita simpliciter fuissest stipulatum, verum speciam nouandi animo stipulationem contrahi placuisset; noua ex stipulatu obligatio non plus, sed tantum, contineret, quanquam pristina ex emto continuisset. Atque hinc demum, usque ad calcem legis, asserit, quod ob eam obligationem, iam in obligationem ex stipulatu mutatam, partus, ut alii fructus postea nascituri, possint condicione incerti ex stipulatu peti. Iterum igitur patet, quod POMPONIVS, qui contra ea de stipulationibus loquitur, quae simpliciter, et veteri obligatione manente, emtioni venditioni adiiciuntur, nulla in parte a PAPINIANO dissentiat.

§. XV.



§. XV.

Posset vero, ut id ultimo loco adhuc tangam, quae con-
hic aliquatenus obstat, quod alias per nouationem firmatur.
accessoriae obligationes pristinae caussae extinguan-
tur, adeoque id etiam de fructibus dicendum videa-
tur. Sic enim ex legibus ubique est notum, quod
post illam pignora, et fideiussores, liberentur, quin
et usurae non currant *q*). Sed non adeo difficilis
erit responso. Nam, ut vel ipsa haec exempla do-
cent, hoc saltem in iis accessoriis obligationibus ob-
tinetur, quae speciali quodam fundamento nituntur,
vi cuius aliquando principali obligationi adhaerent,
et ita non ex ipsa principali caussa debendi suam du-
cunt originem. Hac enim ratione accidit, ut deinde
per nouationem extinguantur, si illud earundem
fundamentum, quod cum pristina principali obli-
gatione fuerat coniunctum, non denuo cum noua
coniungatur, et v. g. pignorum obligatio non de
novo repetatur *r*), vel non denuo aliquod usura-
rum fundamentum accedat. Verum, ubi quaedam
obligatio in ipsa principali caussa suam quaerit ori-
ginem, eiusque ita partem constituit, ut ratione
fructuum rei emiae contingit *s*); ibi nec erit di-
cendum, quod illa per nouationem extinguatur,
ipsa enim nouationis indoles docet, quod, si in lo-
cum pristinae saltem noua debendi caussa substitua-
tur, tunc per nouationem prioris principalis obli-
gationis

q) l. 18. D. de nouat. l. 4. *s*) l. 7. de per. et comm. rei
C. de fideiuss. vend.

r) l. 11. §. 1. de pign. act.



gationis quantitas, vel ambitus, nulla in parte minatur: sed noua tantum totius obligationis ratio adsit debendi. Et hinc omnino conuenienter **PAPINIANVS** adfirmavit, quod post factam eiusmodi nouationem fructus possint actione incerti ex stipulatu peti. Nam hoc modo ea actio suo ambitu illas complebitur praestationes, quas emitor alias ex emulo potuisset postea petere, si nouatio non interuerisset.

§. XVI.

*Invitatio
ad lectio-
nes praxi-
me inho-
andas.*

Praefanda haec fuerunt visa, antequam Generosissimos atque Praenobilissimos Commititones, qui haetenus mea institutione sunt vti, vel eidem se committere volunt, de electionibus, per instans semestre aestuum habendis, certiores facerem. Et quidem hora VII. matutina praelationes in V. C. 10. GOTTL. HEINECCI elementa Institutionum auspicabor. Hora autem IX. vel eiusdem HEINECCII, vel V. C. 10. STEPHAN. PVE TTERI, elementa iuris Germanici explicabo. Hora denique XI. HEINECCIO iterum duce, *ius naturae, et gentium,* interpretabor. Si qui sint Honoratissimorum Commititonum, operam meam adhuc alia quadam in parte desideraturi; lubens, et omni studio, ipsis satisfacere contendam. Dabam e museo, d. 20.

Aprilis, anno MDCCL.



Marburg, Diss., 1749/52

VB 18

nur Bd. 1, 4

TA - OC

f

ULB Halle
004 773 071

3



Farbkarte #13

B.I.G.



3,453. 12
17512.

LVD. CONR. SCHROEDERI
I. V. D.
PROGRAMMA ACADEMICVM
QVO
DE
STIPVLATIONIBVS
QVIBVSDAM, EMTIONI VENDITIONI
ADIICI SOLITIS,
PAVCA PRAEFATVR,
ET
GENEROSISSIMOS ATQVE PRAENOBILISSI-
MOS COMMILITONES
AD
LECTIONES
PER INSTANS SEMESTRE AESTIVVM
HABENDAS
INVITAT.



MARBVRGI CATTORVM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI
ANNO MDCCCL.

